ERIDANUS AUREIS,

Cælestis Sapientiæ & Scientiæ

ARENIS,

Orbem Vniversum ditans,

D. THOMAS AQUINAS,

DOCTOR ANGELICUS.

Redeunte annuâ, suæ Solennitatis die,

In Basilica Cracoviensi SS. TRIADOS;

Perinclyti & Sacri Ordinis Prædicatorum,

debito cultu & Votivâ Svadâ,

in publica Illustrium Hospitum Corona

A

M. MATTHIA STANISLAO FEDEROWICZ,

In Alma Vniversitate Cracoviensi Philosophiæ Doctore,

Dialectices in Classibus Novodvorscianis Professore;

PRODUCTUS.

Annô, quô

CæLIger ÆrIDanVs MarIæ repLeVerat æqVor.

CRACOVIÆ, TYPIS ACADEMICIS.

In Gentilitium Insigne
ILLUSTRISSIMÆ DOMUS
DEMBINSCIANÆ.



I.

VRSO terribili vehitur DEMBINSCIA VIRGO
Vt pellat Patriâ, fortiùs omne malum.

II.

Gressus impavidos agit VRSVS cuíq; timendus;
Cuî vectum VIRGO se dedit innocua.
Virgo hæc invictas Lechiarum denotat oras,
Quêis VRSINORVM sunt pretio Merita.
Et DEMBINSCIANÆ hoc Virtuti Lechia debet
Hostiles acies quòd pepulit toties.

ILLVSTRI
AC
MAGNIFICO DOMINO,
D. ANTONIO
de Dembiany
DEMBINSKI,
VENATORI PALATINATUS
Cracoviensis.

Domino ac Benefactori Amplissimo.

QVàm primùm Divinissimus AQVINAS Regis fluviorum Eridani adumbratur Aquis, protinus gratiosis concitus Favonijs, in Tuum decurrit conspectum. Illustris ac Magnifice Domine. *Novit profectò meliorem nusquam sibi nancisci Provinciam, in qua perspicuos latices ducere possit, nullis ventorum fervescens flatibus; quàm prælucente Cynosurâ Tuâ, Stemmate nobili, Re-*

gum Principumq; Sangvine sato. Novit equidem, quantæ lucis sunt hæc Astra Patriæ, à quibus fortunatos intra abdita rerum, & angusta viarum, non tam capit, quàm recipit influxus; malevolos mulcendo æstus, felici beatur malatia. Abeant cætera astra in occasum, aut funestas sæpiùs patiantur Ecclypses Tua magnanima VIRGO Signum Zodiaci, nullis permista umbris, æternis coruscat ignibus: tot in Zodiaco Patriæ fulgentissima volvens sidera.; quot Viros Illustrissimos, DEI & pietatis amantes, qui zelo boni publici & candori, totum devoverant affectum; quos illibata virtus, heroica opera, ipsis intulêre Cælis. Bajulum Poli Atlantem ab Vrso educatum, veterum perhibeat fabula: veriores Polonæ Reipublicæ Atlantes, indefessis lacertis Patriæ sustentantes molem, qui, castra fortitudine, Tribunalia judicijs, Areopagos Consilijs, Senatum honore implent; Gentilitium hoc producit Stemma. Viros inquam, qui vitæ integritate, Actuum dignitate, meritorum præstantiâ, titulorum splendore omnibus exemplo sunt; Lydium probatorum morum, honestiùs agunt, veros defensores Patriæ, & firma Reipublicæ columina. Sed quid gesta sinè Nominibus proferam? Vivit immortale Nomen (cujus fama superstes; cæteros debito cum elogio silentiô veneror, quos nec pagina hæc capere, nec ausus ingenij mei concipere valet) Illustrissimus JACOBUS DEMBINSKI, Castellanus Małogostensis, *Cor Patriæ, Anima Serenissimi Regis CASIMIRI Tertij. Quem cùm fortem viribus & Consilio expertus est Atlantem, ad Regem Bohemiæ Legatum destinavit, ubi qualis quantusve Vir ferme ad ista natus, extiterit; ex subsequentibus conijcere liceat documentis. Hic, contra Crucigeros Dux militum, Germanos & Bohemos in subsidium Cruciferis venientes à confinijs Regni fugavit, aliosq; innumeros in Patriam irruentes hostes terruit, ita ut quoties strennuus bellator in acie steterit, toties vicerit. Heroicæ Virtutis Vir, vectigalem sibi fortunam fecit; cujus experta veram fidelitatem, primò Thesaurarium Regni, mox Cancellarium, ut Regis Oracula panderet, effecit. De hoc omnes honorum concertabant gradus, quos fugiebat ille,*

ille, ſed non effugit curulem Palatini Sandomirienſis. Nec fruſtra! Palam enim univerſo loquetur Orbi virtutum & in Republica meritorum plùs quàm hæredem. Hinc metiri liceat, quanti ingenij extiterat Vir, cùm inter diſcordes Poloniæ & Hungariæ Reges, lites componere potuit, ipſe pacis ſtudioſiſſimus: ut hanc, quam à Caſimiro ſibi ad gubernandum ſæpius commiſſam acceperat Patriam; omnis expertem infelicitatis vidiſſet. Huic Atlanti certiſſima fulcra Patriæ, non minores ſucceſſêre Hercules, PETRVS & STANISLAVS DEMBINSCII, Iudices Terreſtres Cracovienſes, *Sacræ Themidos veri Cultores, & ſani Conſultores, quorum ſolida æternis ſtabit laus temporibus. Urſina pelle indutos non ſine grata memoria legit poſteritas, quam antiquis ferre ad honorem fuit. Viros Martem ſpirantes MARTINUM & ERASMUM DEMBINSCIOS, quorum alteri dulce & decorum erat in oppugnatione Smolenſci, pro Patria mori: alterius induſtria, celeritas, in re militari peritia, præcipuè contra Tartaros, ſingulis admirationem, omnibus ſtuporem effecêre. Leget Poſteritas quantum valuit in ſuſtentanda Reipublicæ mole Vir ingeniô, prudentiâ, rerum peritiâ inſignis VALENTINUS DEMBINSKI, admiranda metempſychoſi verus Paternarum Virtutum, non tam Succeſſor; quàm Hæres, Theſaurarius, Cancellarius Regni. Iſtius merita, anxias curas, in bonum publicum fervorem, cùm non haberet Patria quô magis coronare poſſet, Caſtellanum pro tunc Cracovienſem, Palatinorum Curulibus adſcivit, imò prætulit. Recolit Orbis Polonus SAMUELEM* Caſtellanum Becenſem, Capitaneum Będzinenſem, *FRANCISCVM DEMBINSKI,* Succamerarium Cracovienſem, *Viros veri & Juſti amatores, recti tenaciſſimos. Eminet altiùs CHRISTOPHORVS DEMBINSKI, Avus Tuus dilectiſſimus, Virtutum ſedes ac domicilium; Hic quantus fuerit, noſcitur ex LVDOVICO* Genitore Tuo *chariſſimo: qui pro ſe uno, tria firmiſſima Patriæ fulcra edidit; editos, acſi PHILIPPVS ALEXANDROS, Amilcar Annibales;*

nibales;

nibales, vera Antecessorum Exemplaria in sinu Patriæ educavit. Prominet Illustrissimus FRANCISCUS DEMBINSKI, Castellanus Voynicensis, *Frater Tuus Germanus, Pater Patriæ, Vir in toto deditus Reipublicæ, publica commoda semper cogitans, privata nunquam. In primo suæ juventæ flore, in acie Martis pugnator, gloriosus Victor: pòst in serijs Palatinatûs Cracoviensis negotijs, ad Grodensia & Varsaviensia Comitia Legatus, Cato: In Tribunali Regni, Consus; in ducendis Cracoviensi, Sandecensi, ac Prossoviensi Districtibus ter Agamemnon. Ensifer Cracoviensis, alter Achilles, ijsdem armis malevolos Patriæ lædens, benevolos sanans. Senatorias sibi excidit Curules Sandecensem, mox Voinicensem. Gravis Senator, quò altiùs exsurgit more Phœbi, eò magis commodis Reipublicæ inservit, dies noctesq; dicando. Tribunalitia Themis, illum summæ gloriæ addixit; quoties Judex; toties Areopagi Sarmatici Illustre lumen, Regniq; Legum Summus Arbiter. Quæ cùm indies ad augem tendunt, mihi venerabundo silentium imponunt? plùs ille potest facere, quàm ego penna exarere. Id tantum prætermittere non possum, quòd ne solus Lechiæ viveret solo, fovet intra Domûs suæ augustalia, spem non vanam Patriæ carissima pignora, JOSEPHUM* Capitaneum Wolbromensem, *verè filium accrescentem; Cui & sua innata virtus, & Paternum robur maximorum facinorum ingens calcar est. Literis pulcherrimè addictus, alienas oras non tam passibus, quàm diligenti lustratione peragrans, ubiq; egregiæ indolis laudes reliquit. Triennio Parisijs permanens, Regi Galliæ ita cordi adhæserat, ut militiæ suæ fidum Capitaneum habere voluerit. Rediens in Patrios fines nulli non amabilis, nulli non jucundus, magna cunctorum in se pertrahens vota, maxima porrigit omina. Alter STANISLAUS prius Domi virtuti intentus, niveum sine labe pectus DEO, totam vitam, non tam immolavit, quàm addixit. Sacram Institutionem omnium gaudiô & lætitiâ Canonicorum Custodum Sepulchri Christi ingressus. Adest par nobile Fratrum LUDOVICUS & JOANNES,*

quorum

quorum spes licèt adhuc in herba, jam tamen magni, quia *DEMBINSCII censentur. Quibus, clari in Patrio solo virtutibus & meritis addunt nitorem BORKOVII, LANCKORONSCII, JORDANOVII, ZABOKLICCII, MORSZTYNOVII. Extiterat olim MARTINUS Germanus Frater DEMBINSKI; ante Te Venator* Palatinatûs Cracoviensis, *quem omnes sibi venabantur honores; ni mors moræ nescia disturbâsset successus: sed cùm ipse fatis cedere debuerat, Filium in Subsidium Patriæ, ut pro se & illo acerrimè pugnaret, MICHAELEM reliquit. Hos cùm tanta circumdant, Tu illis similis obvenis mihi laus, ac prima gloriæ portio,* Illustris ac Magnifice Domine Venator *ad præsens* Palatinatûs Cracoviensis, *genuina Virtutum effigies, cujus species magis, quàm Priami digna Imperio; Tua in facie ludunt Gratiæ; spirant Ethesiæ: Te Majorum Ceræ licetsi Orbi Polono Illustrem reddant, Illustrißimum venerari cupiunt. Toties etenim hæc, ut Tua essent, expetebant; Tu toties illa non apprehendisti, sed melioribus Te servâsti. Experta Patria, vidit Orbis Lechiæ, quas curas; & solicitudines pro bono publico applicuisti; itaq; suis Te cupit præcingere dignitatum laureîs; ni illas effugeres. Memorabiles sunt publicæ legationes, ad Regni Tribunal Lublinense gloriosißima Deputatio, cæteraq; innumera in Rempublicam promptißima merita, quæ tam laudatißimè expedivisti; ut omnium cum admiratione, quævis præconia merueris. Huc BRZYCHVIORUM Accipiter, huc LIPSCIORUM* Sreniawa, *in amicabiles vitæ socias defluxerunt; è quibus in Subsidium Patriæ, solatium Tuum natos charißimos STANISLAUM KOSTKAM & JOSEPHUM verè amabiles suscepisti, qui ferme hæredes Paternarum virtutum ab ubere extiterant; nihil in eis reperiendo parvum, præter annos. Istorum primum, cùm Cracia retineat Pallas, intra Tullianos commorantem campos Demosthenem veneratur. Alterum, primo lustro gaudentem, detinent domestica limina, non sine omnium stupore promptæ rationis. Nec aliter; à magnis quid? nisi*

nisi magna proveniunt. *Felici sanguinis Vestri nexu gaudent* Celsissimi Duces & Principes *RADZIVILII, SANGUSZKOVII, SAPIECHOVII, LUBOMIRSCII,* Illustrissimi *WIELOPOLSCII, MAŁACHOVII, SZEMBECII, MAIOVII, PIEGŁOVII, cæteraq; innumeræ insigni & antiqua origine in nostra usq; descendentes sæcula, Prosapiæ; quas Lithvanus, Polonusq; orbis debito veneratur encomio. Huc & Eridanus, uti ad auspicatum sidus, suis decurrit cum undis; sub quibus aureis Cælestis Sapientiæ & Scientiæ arenis, tantò felicius Orbem Universum ditare valeat, quantò libentius Astris his prosperabitur. Quibus illustratus effundat in Te longævæ ætatis, omnium prosperitatum successus, ut eis diu felix sospesq; per honorum Appiam, tanto altius ascendas: gradusq; unius honoris sit alterius prodromus honor. Vive DEO & Patriæ: hoc Tibi intimè precatur*

ILLUSTRISSIMI NOMINIS TUI

Venerabundus Cliens

&

Humillimus Servus.

Author Operis.

ORATIO.

STupendam rerum omnium naturam, ad communem ſingula proferentem uſum, res admirandas, in hac Orbis peripheria concluſiſſe; cujus explanator animus, aut perſpicax pupilla non admirabitur? A. A. Quippe, prodigam Matrem hanc dixerim, quæ virtutes rebus, non tam tribuit, quàm projicit: ni eviſcerato benevolentiæ ſinu, talia eam concredere cenſuerim. Larga hæc intra limites ſuos Domina, prodigioſam ubiquè producendo Scenam; ne fruſtra faceret quidquam, mundum ditat. Hinc videre liceat majeſtuosâ à terra aſſurgentes pompâ, montium vertices, ſub quorum ambitioſo collo Parios lapides, Phrygia ſaxa, maculoſo nitore emicantia in Templa Phæbo, aut refulgentia Alexandri tecta, obeſo quodam partu contineri. Spectes Hetruriam Petram nemoroſam proferentem, videbis Alcinoi, Heſperidumq; hortos, ubi virentia nemora, ridentia prata, roſas & Narcyſſos, milleq; florum genera, & quô Ver ipſum ſuperbiat, expreſſit non alius Apelles, quàm natura. Proditorem furum cernere cupis? Aurophylax eſt. Incorruptum te ut exhibeas? Chernitem pete. Excelſos ad ſidera tendentes ramos fructibus decoras arbores deſideras? aureis pomis onerarias recipe; ne Tantalus homo fugacia ampliùs captaret, ſaltim his ſatiaretur. A duro montium lapidumq; faſtu, atq; arborum germine, vel ad ipſa, elevare placeat cum animo oculum, opificia rerum Elementa. Aër pergrandem in ſpatioſo ſui ambitu avium continens cætum, exquiſitis variegatum coloribus, præter innumera alia in commodum mortalium beneficia, mellifluum hymettis inſtillat rorem. Calor qui Univerſa alit, inter abdita terræ, ſuum terendo iter, multiplicia concipi facit mineralia. Terra ipſa, quæ nullis ſtat ſuffulta columnis, præter annuos partus; quos larga ſemente pro-

fert, ſcintillantis gravida auri maſsâ, pallentis argenti copiâ, liventis ſtanni abundantiâ, ad decus & pretium Vniverſi, ſuis repletur in viſceribus. Iam talibus bene ornatus, ditatuſq; Orbis, ad limpidiſſima Neptuni regna, non vana rerum curioſitate noſtram provocat pupillam. Haud fruſtra! Iactet mundus communem aquarum uſum, habet quod oſtentare poſſit Hiſpania, ſpumantis rutilam Tagi arenam. Nec ſine ejuſmodi cenſu Lydia, quam ſi ad Lydium velis probare lapidem? metalliferis egerit aquis. India mittit ebur, aſt non ſolum? Hydaſpe tumida, auriferam puta. Sed ſatisne iſta ad prodigium? minimè: non Aſia munere tanto deſtituta Naturæ, ut ſingulis daret, diviſam ſe fecit. Concluſit intra dominij ſui recondita Pactolos, quibus aurea non deſunt metallá. Neſcitis, quid Scythis reliquerit? ut ſe matrem non novercam monſtraret, cùm Arimaſpum genuit; ei in dotem aureas arenas dedit. Nec limitavit vires! Ne ampliùs paucis contenta dicatur, pluribus cupit contineri in locis. Haud mora! Favet gratiarum ſuarum Favonijs meliori Europæ parti Italiæ, quam Eridanô donat, quem ſi Regem fluviorum nominaveris? non ſine auro. Ita eſt. Hic etenim non levi aquarum abundans defluxu, ne ſolis ſcaturiret, aureas arenas vehit, vel ideo? ut cæteris mundi partibus par Italia monſtraretur: vel in caput Orbis, & Religionis Sacræ ſedem ſurrectura, ditior ex Eridano evaderet. Erumpit hodie in conſpectum noſtrum Divus Doctor Aquinas, mare ſcientiarum & Abyſſus, Quem ſi quadam analogiâ Eridanum appellare contenderim: vereor ne illius immenſitati quidquàm derogare videar. Oceanum Te potiùs Diviniſſime THOMAS dixerim, tot conchis gemmeis refertum, quot cæleſtis Sapientiæ & ſcientiæ documentis; ni Eridanum Cælis æmulum noverim. Patieris itaq; Diviniſſime Aquinas, dum Te non alijs dignabor aquis, quàm Eridani. Illum tamen non ad Orbis evanidam pompam auriferis metallis, ſed aureis Cæleſtis Sapientiæ & ſcientiæ arenis, non Auſonias tantùm oras, aſt totum Vniverſum ditantem.

Patieris inquam Cæleſtis Eridane! ſi Te terreſtris Encomiaſtes exigua venerabitur Panegyri. Angelicas lingvas meteris,

reris, unde nec mirum, quòd humana in laudes non sufficiat. Scio me in abyssum quia THOMAM incidisse; inde haud aliter evasurum, quàm manuductrice gratiâ Tuâ. Dabis veniam Divinissime Doctor, si non svavi susurro decurret Oratio mea, quam Tu Divinissime Aquinas, illotam, immundam, Aquis limpidissimis lava, mundaq;. Inopem Styli Oratorij facundiam meam benignis favoribus dita. Iam adest nulli non velox, in conferenda ope Divinissimus Doctor, Vos tantummodò mihi Vestris adspirate Votis A.A.

QVotquot flumina lustramus; tot, aut aurium resonante fluentia murmure oblectaměta, aut oculorum dulces delicias, recipimus; Eridanum tamen Regem eorum veneremur. Habent plummigeri greges, quô glorientur Rege Aquila; cujus irretortâ est semper solem inspicere pupillâ. Animalium turba, magnanimum reveretur Leonem. Nec sinuoso impetu decurrentia flumina absq; Rege esse voluerunt, quô ne aliquando carerent, Eridanum fecerunt. Bene est? Cuinam tantæ dignitatis nomen, ac regia majestas cedere debuerat, quàm ei, qui ut mundum debacchantibus ignium flammis liberaret, è liminibus suis erupit tumidus, tutari ausus dignum se probando pro Orbe exuri, si potuisset. Ita est? Ardebat Phäétonteo casu undiquaq; terra, quæ ultricibus flammis misera in rogum Epiri abijsset; è cardinibus permota, ni suos Eridanus excessisset. O prodigium! Stupebat tunc Oceanus grandem terrestris globi ruinam, admirabantur maria. Aër huc illucq; in turbinem ventis compositus perflabat: Ignis fortibus flammis, usq; ad viscera pertingebat: Terra gemebat plangebatq;. Solus Eridanus regio more usus, tædas lachrymabiles limphis suis tinxit & extinxit. Arrisere Superi! ut hanc quam semper miseriarum expertem spectare libuerat, per discrimina propria, è magno discrimine liberâsset. Sed corpus suo vertice carens, proclamando, rem forsitan absq; origine necto; itaq; ne Acephalus noster videatur Eridanus, caput spectate. Ab imis radicibus Vesuli montis incipit: & bene. A fontibus flumina incipiunt, ex atomis consurgunt Olympi. Eridanus nulli amnium celeritati inferior, parvis

 adole-

adolescens fontibus, ita, demum alijs amnibûs augetur, ut se dives aureis arenis, per septem ostia effundat. Quidquid sit. Videor ego aquas ad aquas fundere, cùm Divinissimũ THOMAM Aquinatem satis suis Aquis illustrem, Eridanô illustriorem reddere conor, ni scirem, quòd Dij olim sub ignobilibus formis latuerant; ne innotescerent. Tu Divinissime Doctor, sub Eridani Aquis latebis, ut innotescas. Haud aliter Oratoria periodus Te ambire potest, Quem concentratæ virtutes, sanctitas profunda, Cælestis sapientia & scientia, ad omnem opulentiam Vniversi veneranda, non minor Horoscopus, quàm summa Prosapiæ Majestas, inenarrabilem Sæculis Regem, hoc est Eridanum, porrexere. Date animos AA. & regios gressus in Eridano nostro Divinissimo THOMA Aquinate speculemini. Exoritur non è limoso paludis gurgite, cænôq; repleto; sed limpidissimo de montibus Aragoniæ Regum erumpenti fonte, ne vel in ipso sui exortu purpuram nascentem, palustribus aquis inquinaret; unde ad ruborem illius ipse erubesceret. Illustrissimam Aquinatum Domum obtutibus vestris propiùs accedentem acutiori supercilio examinatis? Montes excelsi spectentur. Non Pelion & Ossa, quos Gigantea manus ad oppugnandum superos adaptaverat; sed qui solij altitudine, sanctimoniæ eminentiâ, caput excelsum, altiùs ipsô Olympô Cælis intulere. Non invidemus Parnassijs rupibus, quòd Phæbo Præside gaudeant, aut Thitoreæ Hyampeiq; cacuminibus Aganippe & Hippocrene scaturientibus nubes pertingant. Regia Aragoniæ, quotquot vidit sceptrô, pomôq; insignes Reges, claros purpurâ Principes, Herculeâ clavâ Duces, tot numera Apollines, si potes. Illinc Bellerophontis Pegaseo pede, excussus emanat latex, hîc Divina manu eductus Divus THOMAS Aquinas, erumpit fons limpidissimus, in Eridanum prolabens. Fontis magnitudinem indagatis? ex latice metiamini. Procul dubio! Ex pollice Gigas noscitur, ex ungve Leo. Theodoræ uterus hoc Cæli flumen intra viscera sua concluserat. Haud aliter! acsi tenuis maris concha pretiosum unionem, aut rudis terræ massa adamantem, antequàm prodiderit Orbi. Sed non diu magna latere possunt.

Necdum

Necdum felicior Lucina desiderabilem mundo porrexit THOMAM, jam Bonus Anachoreta Eridanum prædixit. Sed cave Divine interpres! Tu enim magna concipis, & summa prædicis; spes adhuc in herba. Malè argumentatur quisquis ominatur, è virga arborem, è minimo silice Alpes. Noris? à minori ad majus non semper currit consequentia, sanè: fallitur augurio spes bona sæpe suo. Non, in THOMA. Nemo poterat esse melior Hydrographus Bonô; qui, Sanctæ Eremi percurrendo spatia, novit, quid palus Lernæa, hydram in se continens; aut ranarum spurcitie repletus lacus? quid verò crystallinum fluentum in Caput Eridani simile. O Bone! adhuc sub cortina THOMAS, Divino afflatu nonnisi Tibi soli notus: non natus & jam quæ de ipso Tua auguria! omina! voces! Quid? si oculis eum cernere posses, quæ verba dicere; imò exclamare deberes! Sed, cùm primùm nitentes stravisse sibi videtur gloriâ cunas noster Eridanus; mox in laticem compositus, ex alveo citis effluit passibûs; cui, in amicabilem comitatum accurrit Fons primæ lavans vestigia culpæ (Baptismum intelligo) ut hôc illimis, candidus, aureas Cælestis Sapientiæ & Scientiæ in se concipiat arenas, hisce Vniversum Orbem ditaturus. Vix ita amplior factus, impatiens moræ in protensum sese extendit Eridanus, nondum tamen adultus: quia pusio adhuc, illicò ei ab ubere pendulo, advenit fons signatus in Salutatione Angelica MARIA; Quem, ut vorax aquarum, omni ab ulnis properando nisu contrahit, imò absorbet. O THOMA! quis ductus aquarum Tuarum? quæ profunditas? MARIAM mare gratiarum absorbes; quis Te gratiosior? Gemmam Cælestem complecteris; quis Te pretiosior? Non Midæ aut Cræsi divitiæ Tuæ, sed Cælesti gratiarum imbre conspersæ sanctiores cornucopiæ. Erythræum Te dicerem ni & hoc, tantis opulentior superares. Nemo Te celsior, nemo gloriosior, qui Amictam sole, ut nitidissimum pectus Tuum lustraret, & illustraret; intra viscera condidisti: conditam omni vitæ tractu sole clariorem monstraturus. Non vereare frequentatas Latoniæ phases; qui-

 bus ad

bus ad irrequietos excitareris motus: hanc tenes, quæ illam pedibus tenet. Nec timeas quidquam, omnia enim tanquàm in ſpeculo videbis, cùm ſpeculum ſinè macula in Te propoſuiſti, ipſe limpidiſſimus. Non Plejades dominabuntur Tibi, ſed duodecem ex Capite ſtellæ, duodenam Catholicæ Fidei ſummam illuſtraturo. Attamen ô THOMA! ſi Tuo infantili ore maria potas, quæ Tibi olim aquæ ſufficient, ut ſatieris? ſi fontes exhauris; quisnam manebit latex; dum modò fontem MARIAM bibendo, in uno omnes hauſiſti, hoc ipſo Eridanus eſſe, quàm probari, ambiens? Sanctioribus itaq; repletus Eridanus noſter aquis, non immemor certè; quòd capiunt vitium, ni moveantur aquæ. Perpendite Auditores! uno nonniſi intra domeſticos lares exactô luſtrô puer, ſi hoc nomine dici poſſit, qui virtutis culturam ita adhibebat; ut nihil ſterile eſſet; nec quidquam humile exhibuit, præter annos. Ab ipſis cunis notus, quòd ad faſtigia natus, cum lacte ad magna candidatus, in Caſſini arva ad Caſtalios fontes devolvitur, inde aureas Sapientiæ & Scientiæ Cæleſtis arenas reportaturus. Et certè, quidquid in THOMAM cadit; incidit, haud aliter emerſurum, quàm grandiùs. Nôrunt ſuum flumina, fonteſq; Regem, ut ſidera ſolem: quare mox veſtigia Domini concomitando, ſeſe transfundunt in Eridanum. Favent boni ſuperi; THOMAS ubi incipit ſtudendo, perficit diſputando; Quid eſt DEVS? O THOMA! vix Heliconem incoluiſti! & jam ad Helionem aſcendis? nondum benè literas libâſti? jam tanta ſiti laboras, ut non valeat extingui, quàm fonte Aquæ vivæ! Proh ſtupor! alij à partibus perveniunt ad totum, THOMAS à toto incipit, in ſummo deſiturus. O fortunam! nuſquam hoſpitatæ ſunt magis Muſæ, quàm in animoſo pectore THOMÆ; quibus multam, imò omnem adoleſcentiæ, ſuæ partem dicando, Hippocrenen & Aganippen fontes exhauſit, ne gutta ſuperſit. Ergo jam ſatis Eridano noſtro? minimè. Nunquam, exoriens Titan in eodem permanet loco; quò plùs ſunt potæ, plùs ſitiuntur aquæ. Exundat dulces amans aquas, in campos lilijs caſtitatis & in-

nocentiæ

nocentiæ plenos, dicerem Elysios? ni Sacri DOMINICI eminentiores sese probarent. Religionis regulam subit, ne irregulares ducat Virtutes. Sacram candidi Ordinis induit vestem; ut suæ illibatæ Virginitatis producat testem. Sed quid agis? ô THOMA! ubique Te Regem, ubique amplissimum monstrâsti? hîc, sub strictam omnis pietatis & modestiæ regulam confluis? Memorare! quâ sis origine natus? quæ spes? quæ expectatio Parentum Tuorum? Iam jam ancipites hærent lachrymas inter & vocem, quòd Te genuerunt in fulcrum Patriæ, ac delicium Domûs educaverunt? Tu à fascibus ad facem Sacri DOMINICI subitò confugisti. Quid ad hæc THOMAS? Non tantùm Apollo in Parnasso; sed etiam in Pyrrhi annulo cum Musis. Gemma aliquando est, quod vitrum putâsti? Eridanus, quod stagnum censes, & aurifodinam calcas; respondet. Nihilominus, intra hæc gloriosum Te fortuna fecit; sed non tutum. Vt tandem longiùs hasce querelas & lamentationes effugeret, Lutetiam se transfert, quæ aquis suis perfusa, desinat esse lutosa. Sed proh dolor! etiam aquis inimica fortuna. Incidit in Scillas volens evitare Charybdes. Vix securos prosequitur ductus aquarum, illicò acsi Xerxes Hellesponto, fratres Eridano injecêre vincula. Ille THOMAM capit, hic tenet, uterq; ducunt. O duras mentes & plùs quàm ferrea corda, malè nata soboles, Landolphe & Arnolphe fratri dissimiles, mordaci consumimini invidiâ, Romulô pejores! Ille quia transilijt, Remum; vos THOMAM, quia transilire non vult, cædentes. Raptûs causam, ne quæras? Mater erat: nisi hanc furiam jure æquissimo dicere velis. Bene fecisti Mater, quòd mandas capere THOMAM! Eridanus est, aureas arenas vehens, ut immundos scelere Lares mundare, pauperes ditare possit. Ducitur ante hujus vulnificum vultum THOMAS, à cujus oculis lachrymæ, ab ore voces & lamentationes prodeunt. Lactavi misera catulum, qui me perimat & morsu laceret, rigavi sudore cicutam. Talibus THOMAM flectere non valens, plectere disciplinis cæpit, & cùm sensit non proficientia

entia verba, descendit ad Anathema. Quæ primùm Mater, mox noverca. Tutrix primò, mox ultrix. O malè svada Mater, siccine amores Tyrannicis permutas odijs! Obverte potiùs efferum animum in effrenes filios; vitia adulta, ne fiant inulta. Sed algidus in his Eridanus noster, Regio animo constans, renuit svasionibus, sciens miserrimam esse sinè magna virtute, magnam felicitatem. Truditur itaq; post hæc sanctè pertinax in carcerem THOMAS, Eridanus in palustria loca. Quapropter jam actum est de THOMA! Malè, ubi Orator, qui tortor; idem Tullius, qui Phalaris; nec aliam à Te vocem exprimet, quàm gemitum. Quid facies THOMA! In Eridanum crescere debueras, aureis Cælestis Sapientiæ & Scientiæ arenis Vniversum ditantem; modò deflexus cæterorum fontium Tibi præceptus; imò Tu ipse sublatus. Tantis permistus Eridanus noster, sed non solis. Adferuntur THOMÆ fercula, datur potus adbibendum dispares nervi; ut vel hisce laxaret animum. Ast mortem sibi pro cibo allatam putavit; ne uno cratere totus absorbeatur Eridanus, exhorruit. Accedit tandem ultimum malum, mulier procax; cujus oculi lenocinium, gestus illecebras, verba blãditiem, totum corpus persvasionis machinam admovebat, & erat temporis opportunitas, solitudo loci, parata voluptatis præsentia. Quid factum? innocentis THOMÆ genas & animum depingit pudor, ad tot concussiones, ad hos incestos ictus, immobilis, invictus. Acceptô de cineribus semiustô lignô abigit, fugat, eijcit atri Ditis germen, Medusam dixeris. Expectatis, ut rem absq; involucris edisseram? Cavete, ne inter tot infortunia infelicem dicatis. Vt tantùm felix fieret, miser fuit. Non rarò aditus fortunæ, injuria est. Sedendo THOMAS vicit, insidijs non territus, minis non mutatus, carcere non fractus, contumelijs major & excelsior. O lætas malorum vices! ubi humana desunt consilia, Divina adsunt auxilia. Tam admiranda Virtutum & factorum svavitas, ipsos in carcerem devocavit Cælites, in signum heroicæ dexteritatis balteum ferentes. Præcingaris THOMA, ut stes fortiùs adversùs quosvis hostes, in prælio: sic con-

sic confortatus, agedum THOMA! unica in fuga salus, utere nocte pro comite, tenebris pro socio, nomen & castimoniam illustraturus. Cessit eventus audaciæ, per fenestellam acsi per arctum ostium erupit noster Eridanus; qui flexuoso expeditus sinu. Liliorum revixit fragrantia; ad quorum cucurrit odorem Parisios; gratus hospes: illinc Coloniam migraturus. Protende aquas Tuas Eridane, & quas inter angusta repagula contraxisti, dilata. Quodsi nec soli umbræ, nec adamanti rudera, nec gemmæ concha pudori est? quid Tibi calamitates notam inurant. Nullum famæ vulnus, malis cedere; quæ aliter vincere haud possis. Missis his, clarioribus redditus undis, obvium sibi nanciscitur Naturalis scientiæ dulcedine perfusum flumen ALBERTVM Magnum; cujus præpotenti impetu, non tam detinetur, quàm sistitur Eridanus. Cùmq; nonnisi leni susurro decurrit, nullo strepitu sonans, à malè judicantibus, bovis nomen accipit. sed malè judicat, quisquis è prima fronte rem æstimat. Perpendite minus periti, & garruli Philosophi, apud quos negatus modestiæ locus; THOMAS torosus & ab aratro sacer Bos, oneris, quàm honoris patientior, vectura victitans. THOMAS Bos, qui post diuturnum silentium, tandem centum ora resolvet. Nam ut bene loquatur, diu meditatus est. Nostris? Profundior unda leniter fluens, nec credite tacitam non esse profundam. Latices, quorum summa vix talos contingit, crepant, altissima flumina minimô labuntur sonô: & qua flumen placidum est, latet altior unda. Profundiùs immersit profundam ingenij sui pupillam, rerum verus interpres ALBERTVS, & ambrosias Eridani prælibando aquas, ad eum verba protulit; Tu mihi non respondentis, sed Doctoris locum obtinere videris. Ita est! æquè rerum arbiter Aquinas, aqua est; super quam fertur Spiritus Domini. Flumen est, cujus inundantia omnem terræ Cæloq; præstat fertilitatem. Hæc epota ab omni vitiorum amurca, mundum immundum mundat. THOMAS Eridanus. Quidquid ab AVGVSTINO profluxit, ab AMBROSIO

SIO emanavit, HIERONYMO ſcaturijt, CHRYSOSTOMO ebulijt? id totum in aureas arenas, ad pretium universi in THOMAM congeſtum influxit. Cæteris igitur magnus, hôc unicô parvus; quod talibus grandior aquis intra tumentes fluctus; quos grati pietatis ſanctitatiſq; permovebant Favonij; aureas Cæleſtis Sapientiæ & Scientiæ producens arenas; dum coronari potuit, noluit. Non ingrata Lutetia Eridani perlucida Aquis Gallicana Pallas, tanto ditior hoſpite, quem diu deſideravit, antequam habuit. Aquas redimere cupivit, quas bibit. Quid factum? THOMAS etiam ſinè magnis laureati Doctoris titulis, nunquam non Magnus, lauream mereri maluit, quàm accipere, & ad ipſam cogi, quàm rogare. Diu intra ſe meditatus, non tam gratiâ honoris, quàm præconcepti mæroris extra ſe raptus, oculos claudit & aures: hos, ne ſtimulos audiret, illos, ne ſtimulatores abſtemius felicitatis intueretur. Mox tandem, cùm humanis recuſat votis, à Cælis per nuntium compellitur, ne ima tereret, cùm ſumma poſtulant. Doctorali non tam libenter, quàm reverenter, inſignitus coronâ, ubiq: lynx, ut notaret, ubiq; Aquila, ut tonaret. Temporis avarus; nullum niſi ſacrarum literarum otium adamavit, quo univerſum ditaret. Plus factum? Quamprimùm THOMAS in Cathedra Doctor, illicò ad eum Cælum PETRVM & PAVLVM ad dextram & ſiniſtram ſpectatores an Auditores delegaverat. Quare? Ille, ut in aurea Cæleſtis Sapientiæ & Scientiæ doctrina, homines hamaret? Hic, ut ſecundum Gentium Doctorem admiraretur: omnem in gladio opem ferendo. O THOMA nulli hoc acinace victoriæ non par, nullis hoſtibus non ſuperior! Ita eſt; nunquam non vicit, dum vixit. Dubitatis, videritne priùs hoſtem an vicerit? feſtinavit ad victorem victoria. THOMAM & ſua Virtus, & alienum ſcelus nobilitavit. Bucerus nunquam magìs ſe perijſſe ſentit, quàm cùm cæpit exundare Eridanus, nunquam pauperem, quàm divite THOMA. Qui, cùm videret quod inuideret, in Eridano infeſtus Phaëton naufragus, totâ buccâ buccinare debuit

buit, *Tolle THOMAM & dissipabo Ecclesiam.* Apage hinc monstrum horrendum, Lernæa hydra Bucere, Plutonis parata portio! *tolle* vociferaris, conclusum de Te noscito, festivus occinit THOMAS. Hocce gloriosiori triumpho nulla arbor non laurus, nulla non trophæum est. Vt tamen Phæbi more etiam in altis omnium necessitatibus serviret; inter alia prima volumina summam Theologiæ conscripsit. Quam cùm Supremo Censori CHRISTO porrigit, recipit; *Bene scripsisti de me THOMA.* O THOMA! non tantùm nomine abyssus, sed operibus. O Eridane! pulchriora ducens floralia, non alio Te permittis coronari flore, quàm Campi, nulla redimiri coronâ, quàm Iustitiæ. Nemo Te melior Orthographus, rectè scripsisti, ita ut à Cælesti Præceptore *Bene* merearis. Cælis ergo faventibus, & terrestria Cælestis Sapientiæ & Scientiæ arenis ditata, circumagunt THOMAM. Archipræsulea purpura humeris, pedum manibus, Tiara Neapolitana excelso THOMÆ capiti sese submittunt. Sed THOMAS, uti ad omnes gradus honorum tardus, nec ad hunc velox. Ista, cùm eum sequuntur, ille fugit. Noluit purpuram, quæ mortuo cruore imbuitur; antequàm fiat. Respuit Pedum, ne eunti de virtute in virtutem pedes tardaret. Despicit Tiaram, ne Cælesti Sapientiâ & Scientiâ repletum caput, mundana gravarent. Neq; hìc jam non Eridanus THOMAS, ne statarius aliquando esset, in Lugdunense magìs currit, quàm pergit Concilium, novos Mulciberi ignes, funestos fidei rogos minitantes, extincturus. Sed dolor! majorem ex adversa fortuna gustum libavit? In vita à fratribus, in via à fatis interceptus. Ah dolor! Morbi gravedine pressus, stitit vitæ suæ cursum, in nova Fossa. Vnicum, quod in auge Virtus, cùm in terris locum non habeat, Cælos possidet. THOMAS æternitati vixit, non tempori; inter Cælestia relatus Numina, pæne Cæli incola antequàm hæres. Applaude Tibi Sancta Mater Ecclesia! Tuæ jam aquæ super Cælos benedicunt Dominum, ipsa benedicta. Gloriare fluminibus copiosam mer-

 cem

cem, quibus devehis Superis, ipsa gloriosior. Lætare Eridanô aureis Cælestis Sapientiæ & Scientiæ arenis Vniversum Orbem ditante, ipsa ditissima. Quem, cùm è benigno Superûm sinu receperas, Cælo reddidisti, quòd Cæli erat. Hoc totum tamen tuum est, sacra Sacri DOMINICI Religio, innumeras legiones Sanctorum numerans. Non securiùs sub Ajacis clypeo Græcia, quàm THOMAS, sub augustæ Tuæ Vestis patrocinio deguit. Parem pietatem, Sapientiam non dispari Nomini præferendo. Alibi fontes nonnisi spectamus, in Tuo Sanctissimo Conclavi flumina cernimus, Eridanum veneramur. Hîc, Sacræ Sedis veneranda Majestas, sedem posuit. Hîc Cardinalium purpuræ vernare, Archipræsuleæ Tiaræ nitere, Præsulum Infulæ coruscare, exambiunt. Nemo Te facundior nemo, sacer Prædicatorum Ordo, cujus & ora loquuntur & prodigia, quòad publica solertior, quàm ad privata. Te solùm roborat labor, quies fatigat, qui Virtuti omnia debes, fortunæ nihil. Tuam nunquam satis deprædicabit gloriam debitor Orbis, per Te loqui didicit, omnem fregit inopiam. Ergo ditior factus, cuncto enarrabit tempore; Te, Tuumq; THOMAM aureis Cælestis Sapientiæ & Scientiæ arenis Vniversum Orbem ditantem Eridanum.

D I X I.